



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.
Emanuelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

Rodrigues, Manuel

Lvgdvni, 1621

M.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41743

266 MATRIMONIUM.

vsu librum, aut quaternum surripere, etiamsi Episcopus sit, ipso facto incurrit excommunicationem Papalem. *tom. 2. q. 129. art. 1.*

Clemens VIII. prout testatur Reuerendissimus Pater Franciscus à Sosa totius Ordinis Minorum Generalis, reuocauit constitutionem *Sixti V.* qua statuit pœnam excommunicationis Papalis, & priuationis omnium officiorum, necnon vocis actiuæ & passiuæ cōtra Guardianos ante susceptum officium, non facientes diligens inuentarium omnium librorum Bibliothecæ; & contra quoscumque Fratres quouis prætextu, ex ipsa Bibliotheca libros extrahentes, sed tantum eos ligari voluit, qui in fraudem Bibliothecæ aliquid surripiunt. *ibid.*

MAIORATVS.

Vide Hereditas, Monasterium, Monachus.

MATRIMONIUM.

Vide Legatum, Nouitius, Professor, Votum.

Regularis matrimonium contrahens, tamquam suspectus de *heresi*

hæresi ab Inquisitoribus fidei pun-
nitur. *tom. 3. q. 1. art. 1.*

Iam de iure nullum est matri-
monium à professio vel professa ta-
cité aut expressè contractum : est
enim hic proprius solennitatis vo-
torum effectus; vnde olim erat vali-
dum, quando votum Regulare sim-
plex tantum censebatur. *art. 2.*

Matrimonium ratum & non con-
summatum, per solemnem profes-
sionem dirimitur, etiam quoad vin-
culum, ex *Concil. Trident.* Et hoc
non tantum iure Pontificio, sed &
quasi naturali, vel etiam (vt ait
Scotus, & D. Bonavent.) diuino; cum
status perfectior, vbi nulla interce-
dit iniuria tertij, iure minùs di-
gnum auferat. *art. 4.*

Potest summus Pontifex in voto
solemni continentia dispensare,
cum ipsa solennitas sit ab Ecclesia:
sic tamen vt professus virtute huius
dispensationis contrahens non am-
plius remaneat verus Religiosus.
art. 5.

Vota Societatis etsi simplicia, &
conditionata ex parte recipientis,
cum propriè Religiosum efficiant,

268 MENDICITAS.

ex declarat. Greg. XIII. dirimunt etiam Matrimonium. art. 6.

Et idem dicendum de professione castitatis emissa in Ordine sancti Ioannis de Malta ; non autem in aliis Ordinibus militaribus, quorum professores conjugalem dumtaxat castitatem vouent, vnde solum Clericorum professio, non aliorum, Matrimonium dirimit. *art. 7.*

Regulares absque licentia Parochi Matrimonium solemnizantes, excommunicantur, à solo Papa absoluedi. *quæst. 2. art. 1.*

MENDICITAS.

Vide Communicatio privilegiorum, Fratres Minores, Pestis.

Licet peregrinari mendicando causa maioris humilitatis & patientiæ, etiam non facta bonorum renunciatione, multò magis ea facta. *rom. 3. quæst. 3. art. 1.*

Nullò præcepto tenetur quis laborare manibus, nisi vt vitet otium vitiosum, & sine vlla tertij iniuria cum suis viuat. *ibid.*

Mendicitas Fratrum Minorum,
Et Præ

MENDICITAS. 269

& Prædicatorum licita est, & meritoria, modo non extendat se ad superflua conquirenda, & bonis operibus corporalem laborem recompenfat. *art. 2.*

Quinimò ex vi Regulæ ad ipsam mendicitatem tenentur Fratres Minores, cum ob factam bonorum omnium renunciationem, hæc sola via illis supersit ad vitam tuendam: quamvis enim iure diuino, aut naturali, aut alio quouis modo, sæculares teneantur & cogi possint, etiam implorato ad hoc à Fratribus officio Iudicis ad vitæ necessaria eis subministranda pro labore, Missis, Concionibus, &c. ipsi tamen Fratres nullam inde certitudinem civilem habent, aut habere possunt. *art. 3.*

Nullò tamen præcepto ostiatim mendicare iubentur. *ibid.*

Mendicantes in duplici sunt differentia; alij ex Regula, ut sunt soli Fratres Minores, qui proinde nihil proprii, etiam in communi, habere possunt; alij ex constitutionibus, & his licitum est, aliquid in communi possidere. *tom. 2. q. 125. art. 1.*

270 MINIST. PROV.

MILITARIS ORDO.

Vide Commendatores, Castitas, Eleemosyna, Exemptio quoad seculares, Illegitimus, Immunitas, Interdictum Ordo militaris, Paupertas, Prelatus.

MINISTER PROVINCIALIS.

Vide Iurisdictio, Electio, Visitatio.

IN electione Ministri Prouincialis potius spectanda videtur canonum, quam Theologiae notitia; quamuis aliter se res habeat in Episcoporum electione; cuius differentiae ratio est, quod hi ad praedicandum, ille ad regendum praecipue instituat. *rom. 3. qu. est. 34. art. 3.*

Ex concess. Apostolica habent Ministri Fratrum Minorum eandem iurisdictionem in omnes Sorores Sanctae Clarae, & Tertiarias, quocumque modo vocentur, quam Protector Ordinis, qui *ex Regula* proprius est earum Superior, habebat: dempto quod in earum Monasteria, nec ipse ingredi, nisi in casibus permisis, nec aliis eam licentiam concedere potest. *1. q. 17. ar. 8.*

Mona

M I S S A. 271

Monasterium eiusmodi Sororum nouiter erectum non potest per Episcopum regi, sine expressa licentia Papæ, cum ipso facto sit subiectum Ministro Prouinciali. *art. 9.*

Ministri iurisdictione in Sorores est ordinaria, quia licet sit ex priuilegiis & cõmissione; ista tamẽ priuilegia sunt perpetua, atque adeo conferunt iurisdictionem ordinariam, & auctoritatem creandi Commissarios pro dictis Monialibus visitandis. *art. 10.*

M I S S A.

Vide Altaria, Legata, Parochus.

Clemens V. statuerat olim, ut nullus sæcularis Missas, aut Exequias præsumeret celebrare in Ecclesia Fratrum Minorum, sine eorum consensu; sed id reuocauit Leo X. decernens non solum quòd omnes ibi celebrare possint; sed etiam quòd libenter eos recipere ipsi Fratres debeant. *tom. 3. q. 4. art. 1. Vide Sepultura.*

Bonifacius IX. omnibus Ecclesiarum Prælati seuerè sub pœna excommunicationis ipso facto inexc

incurranda prohibuit, ne quoquo modo Prædicatores impediant à libera Missarum, & quorumcumque officiorum celebratione, oblationumque, & aliorum sibi datorum receptionem. *ibid.*

Fratres Minores possunt ex concessione Leonis X. certas Missas sibi commendatas cum aliquibus caeremoniis superstitionem sapientibus, verbi gratia, cum certo numero candelarum, &c. in alias commutare; quod non possunt, ubi tales adiunctiones desunt, ut bene advertit *Collector Compendij*; ac proinde non facilè tunc introducenda commutatio tam respectu Officij, quàm temporis, loci aut numeri candelarum. *art. 2.*

Ius commune ex sententia Authoris permittit inchoare Missam, duobus horis ante ortu Solis; atque adeò post concessionem *Pij V.* qua potest Generalis Fratrum Minorum licentiam facere suis subditis celebrandi per vnam horam ante auroram; & *Sixti I V.* qua possunt prædicti Fratres Minores ante & post tempus ab Ecclesia statutum celebrare;

brare ; licitum est illis tribus horis ante ortum Solis inchoare , & totidem post meridiem , rationabili occurrente causa , Missam finire. Sic enim intelligenda sunt priuilegia , vt tantum concedant ultra ius commune , quantum eorum verba sonant. *tom. 2. q. 43. art. 1. 2. & 3.*

Ex verbis indulti prædicti *Leone X.* colligit Author licere Fratribus , præsertim instante necessitate , ante Officium Matutinum recitatum Missam facere. *art. 3.*

Non abrogauit *Concil. Trid. sess. 22. in Decreto de obseruandis & vitandis in Missa* , facultatem prius factam fratribus minoribus celebrandi in altari portatili , in oratoriis , plateis , & in omni loco honesto , quamdiu non contradicunt Episcopi ; sed his tantum id prohibendi auctoritatem concessit. *art. 4. & 5.*

Non possunt Episcopi præcipere populo , vt in Festis & Dominicis assistat missæ parochiali , cum præcepto de audiendo Sacro satisfaciant sæculares in Ecclesiis Regularium , licet valeant , quædam oportuna

S portuna

portuna præcipere, vt quod Regulares annuncient festa & ieiunia. Ex *Conc. Trid. ubi supra. art. 7.*

Nequeunt Fratres Minores post Bullam *Pij V.* in principio Missalis vti priuilegio, quod prius habebant addendi & minuendi in precibus & cæremoniis Missalis Romani, nec prætermittere ordinem & ritum in eodem constitutum, absque rationabili causa: vnde in diebus duplicibus non possunt dicere de *Requiem*, sed de Officio competenti; & per hoc sufficienter adimplent promissa; in diebus autem semiduplicibus, debent promissum Officium persoluere, quia vtilius, & eius oratio directius mouet Deum ad impetrandum. *art. 8. & 9.*

Frater acceptans dicere quantitatem Missarum, verbi gratia, Sancti Gregorij, satisfacit dicendo triginta Missas de Officio occurrente. Imò diebus Dominicis, & solemnibus, tenetur sequi Officium diei: quod non minus prodest defuncto, tunc enim vis directa applicationis, per deuotionem Sancti, & Festi suppletur. *art. 10.*

Neque

Neque continuatio adeò obligat, quin ob decentiam, honestatem, & reuerentiam Sacramenti aliquando prætermitti possit. *ibid.*

Mos antiquus dicendi Missam de Beata Virgine Maria in Sabbatho, quando est duplex, derogat iuri; Sicut & dicendi de defunctis Feria secunda, præsertim pro Missa minùs principali. *art. 11.*

Cum in onerosis nomine Ecclesiæ Collegiatæ non comprehendatur Monasterium, fit vt quando præcipitur, quòd dicantur duæ Missæ, vna de Festo, & altera de Feria, sufficiat in Ecclesiis Regularium, vnã facere. Et ita determinatum est in Cæremoniali Ordinis Minorum autoritate Congregationis Generalis Toletani pro Ecclesiis prædicti Ordinis *articulo 12.*

Abbates & Generales Ordinum possunt in suis Capitulis generalibus moderari & minuere numerum Missarum ante *Concil. Trid. fundatarum*; & statuere quidquid ad gloriam Dei magis viderint expedire. *Ita Concil. Trid. sess. 25. de*

276 M O N A S T E R I V M.

Reform. cap. 4. Expediit tamen, ne defraudentur benefactores defuncti, speciales fieri, sacrificij applicationes, commemorationes, siue etiam collectas pro defunctis, quas nihil valeat etiam in diebus solemnibus addi. *art. 3.*

M O N A S T E R I V M.

Vide Alienatio, Alimenta Edificia, Hereditas, Paupertas.

AD ingrediendum Monasteria Monialium, duo requiruntur, & causa moraliter necessaria, & proprij Superioris licentia in scriptis obtenta; Episcopi quidem pro Monasteriis sibi, vel immediate Sedi Apostolicæ subiectis, Abbatis verò, aut alterius Regularis Prælati pro exemptis. Potest tamen Superior generalem facultatem comittere Abbatissis, vel Monialium Confessariis, vt scilicet in eius absentia pro necessitatibus repentinis ingrediendi aliis licentiam donare valeant; & quamuis non commisisset liceret Abbatissis in tali casu ex præsumpta interpretatiua voluntate Superioris Medicos, chirurgos

Car

MONASTERIVM. 277

Carpētarios, & alios, quorum opera
repentē passim egent Moniales ad-
mittere. *rom. 1. q. 46. art. 2.*

Nullus Papa inferior authorita-
tem habet faciendi licentiam ad
intranda Monasteria Monialium
Sanctæ Claræ sine causa in earum
Regula expressa : cum enim sint
strictioris Observantiæ, non inten-
dit *Concilium Tridentinum* eas re-
laxare. Et cum specialiter Fratri-
bus Minoribus talis ingressus in-
hibeatur, specialis etiam pro ipsis
requiritur licentia ; adeò, vt quam-
uis Cardinalis, aut Episcopus au-
thoritatem habeant eligendi socios
ad intrandum, nequeant prædictos
Minores eligere, nisi de illis expres-
sè in licentia mentio habeatur.

art. 3.

Superiores sicut causa moraliter
rationabili interueniente possunt
cum subditis dispensare, ita & cum
seipsis. *art. 5.*

Nam secundum æquitatem ne-
cessitas moralis (iudicio peritorum)
excusat ab omni præcepto Ecclesiæ.

art. 4.

Possunt Prælati facultatem con-
cedere

cedere mulieri generosæ intrandi
& manendi intra septa Monaste-
rij, cum tribus aut quatuor puellis,
si nequeat in sæculo absque suæ fa-
mæ dispēdio manere; sicut & intro-
mittendi puellas minores duode-
cim annis honestæ educationis gra-
tia. *Ex Concilio Tridentino, sessione*
25. de Regular. cap. 21. Quod licet
etiam ad Monasteria Sanctæ Cla-
ræ, & Conceptionis de iure exten-
di possit: id tamen iam non est in
vfu: nam pro similibus recurritur
ad Nuntium Apostolicum. *articulo.*
6.

Charitas, aut maior Dei honor
est sufficiens causa ad introducen-
das sæculares ancillas pro serui-
tiis vilioribus Communitatis, aut
infirmarum subsidio, intra clau-
suram non tantum Monialium, quæ
non nisi ex præcepto Ecclesiastico
obligantur ad clausuram, sed etiam
earum, quæ ex Regula, ut sunt Cla-
rissæ, præsertim si Conuersas pro-
fessas ad supradiçta exequenda non
soleant admittere. Sed introductæ
è Monasteriis egredi prohibentur.
art. 7.

Pleras

Plerasque declarationes Cardinalium decernentes quas fœminas & puellas, & quibus de causis recipere, aut non recipere liceat in Monasteria Monialium, quibus solum ex præcepto Ecclesię clausura indicitur, vide *art. 10.*

Pœnam excommunicationis Pœpæ reservatæ, priuationis Officiorũ, & inhabilitatis ad alia obtinenda, ipso facto incurrunt tam Moniales præsumentes admittere, quam aliæ personæ etiam Regulares quæcumque ex præsumptione intrantes in clausuram Monasterij extra casum necessitatis prætextu cuiuscumque licentię. *q. 47. art. 1.*

Excusantur tamen qui bona fide, obliuione, aut animi simplicitate, sine præsumptione, & dolo admittunt, aut ingrediuntur. *art. 2.*

Et aduertendum, quòd pœna excommunicationis respiciat quidem omnes præsumentes admittere, aut intrare; sed pœna priuationis officiorum solas Abbatissas, & Superiores Conuentuum, quocumque nomine appellentur; non autem inferiores, & singulares dictorum

Conuentum personas. *art. 3.*

Per *Conc. Tridentin.* videtur interdictus ingressus in Monasteria Monialium Sanctæ Claræ Cardinalibus & Protectori Ordinis; quamuis alias fuerit per Regulam proprius eorum Superior, *art. 6.*

Nequit etiam Confessor pro renouando Eucharistiæ Sacramento intrare; potest tamen cum socio, indutus Sacerdotalibus pro excipienda Confessione, & Communionem danda infirmis, non tantum per modum viatici, sed etiam omnibus iis diebus, quibus ipsæ ex Regula tenentur recipere. Item pro iuanda iam morti proxima, in die funeris ad exequias celebrandas, & sepulturam aperiendam etiam pro seculari. *art. 4.*

Præterea *Greg. IX.* etiam concessit liberam ingrediendi facultatem Fratribus earum obsequiis deputatis pro exercendo opere: quod commodè extra Monasterium fieri non potest. *ibid.*

Urbanus I V. prout continetur in ipsarum Regula, declarauit licere Generali Fratrum Minorum intrare,

re, quodcumque intus celebrare,
aut verbum Dei proponere volue-
rit, cum quatuor aut quinque Fra-
tribus. Et visitatori cum duobus
sociis ad tenendum Capitulum, vel
aliquid simile agendum, quod mu-
nus proprium tangat, & commodè
de foris fieri non possit, v. g. ad vi-
dendum num clausura periclitetur

art. 7.

Fratres Minores ex speciali con-
cessione Leon. X. inuitati à Prælatis
Monialium, licitè cum eis clausu-
ram ingrediuntur; obtenta tamen
licentia Superiorum, si sint subditi.

art. 8.

Sub excommunicatione Pij V. in
Bulla inhibitoria, ne mulieres etiam
Ducissæ præsumant Monasteria vi-
rorum intrare non comprehendun-
tur Regina, Regum filia, & Prin-
cessa, quæ libere id possunt. qu. 48.

art. 1.

Neque Fratres, qui mulieres sim-
plices non exceptas, sine dolo, per
inadvertentiam, & ignorantiam ad-
mittunt. *ibid.*

Possunt qualibet mulieres clau-
stra Regularium ingredi pro missa

S 5

Con

Concione, aliisque diuinis Officijs audiendis, si aliunde in Ecclesiam commodus non pateat accessus. Item quando fiunt Processiones, aut fidelium cadauera ibi sepeliuntur, vel pro eis fiunt suffragia; neque necesse est statim iis finitis eas expellere, sed tantum tempore moraliter congruo: attendat tamen Superiores, ne alias officinas interiores ingrediantur: nec mandent vt aliqua processio extraordinaria fiat, vt illius occasione possint mulieres dicta loca intrare; quo tamen casu neque ab ingredientibus, neque ab admittentibus, excommunicationis, aut predictæ constitutionis pœna incurreretur. *art. 3.*

Inspecta iuris communis dispositione, Regulares Canonici habitantes intra claustrum non possunt vilo modo vti seruitio mulierum, sicut nec alij Religiosi; sed bene si habitent domos seiunctas claustro contiguas *art. 4.*

Moniales, etiam Tertiariæ, & earum Prælati, contrauenientes Bullæ *Pij V.* vinculo excommunicationis Papalis ipso facto innodantur,

priuan

priuanturque dignitatibus, & officiis obtentis, & ad in posterum obtinenda inhabilitantur. Eadem etiam excommunicatione feriuntur sic egressarum fautores, & receptatores in hoc negotio. *q. 49. art. 7.*

Eugenius I V. præcepit, vt porta clausulæ Monialiū duplici sera obfirmetur, vna intus, cuius clauem habeat Abbatissa, altera deforis, cuius clauem conseruet Superior aut Confessor. Et *Greg. XIII.* in sua constitutione prohibuit, ne habeant ostium, per quod ex Monasterio veniant ad Ecclesiam communem secularibus. *art. 1. & 7.*

Possunt Prælati in certis casibus in iure & Regula Sanctæ Claræ expressis, dare licentiam egrediendi; hi autem sunt tres præcipui. Primus est, inuitabilis & periculosa necessitas, vt mortis violenter imminētis ab igne, aqua, hostium incursu, & similibus casibus, in quibus etiam tenentur Moniales egredi cum licentia præsumpta, si absit Superior, & periculum sit in mora, ne sui ipsius interfectrices dicantur. At si periculum mortis sit ex agritudi-

ne

ne, cum talis mors non sit violenta, sed naturalis, non tenentur egredi, neque Prælati licentiam facere præsertim eis quæ sunt professæ clausuram. Secundus est, lepræ, epidimie, & similia membrorum nociuorum toti communitati. Tertius, quando vel in totum vel in partem essent transferendæ in aliud Monasterium reformandum, aut de nouo erigendum. Et quodcumque cum licentia egrediuntur, debent alibi in loco oportuno manere inclusæ ad tempus sufficiens tantum. *art. 2. 3. 4. & 5.*

Quilibet Monachus de iure communi licitè egreditur Monasterium cum facultate Superioris, etiam Cõuentualis, cum causa ab ipso Superiore iudicanda; de iure autem speciali maior causa requiritur; v. g. pro Carthusianis. Erit autem peccatum mortale, frangere clausuram quæ de iure communi Regulares obligat, quando cū contemptu Regulæ, professionis, & transgressione præcepti specialis Superioris, notabili scâdalo, aut damno notabili, Monasterij clausura violatur, alias nō. *9. 50. a. 1.*

Excusatur

Excusatur tamen à culpa mortali, qui accederet ad Superiorem, quasi appellando & grauaminib. sibi illatis a suis Prælati inferioribus, cum propria defensio sit de iure naturali. *art. 2. & quest. 29. art. 2. & q. 30. art. 3.*

Pius V. statuit, vt ita vnaquaque prouincia Fratrum Minorum de Obseruantia, sint ad minus duo Monasteria Recollecta, ex quibus Prouincialis Fratres extrahere nequeat absque causa. *tom. 2. q. 50. ar. 11.*

Monasteria etiam exempta, sunt territorij Episcopi, non Prælati Regularis, vnde sine eius licentia ædificari nequeunt; hinc est, quod Episcopus in Processione ingrediens Monasteriũ etiam exemptum, debet præcedere Prælatum licet sit Generalis totius Ordinis. *tom. 2. qu. 60. art. 1.*

Monasteria possidentia bona in communi, ea infraudare possunt, suntque capacia vassallorum, & iurisdictionis. *tom. 2. q. 79. art. 12. Vide Vassalli.*

Monasterium per fictionem iuris

lis,

ris, pietatem, & Fauorem Religio-
nis intendentis, habetur loco Filij,
q. 78. art. 4.

Monasterium succedens in feu-
do potest conueniri coram domino
feudi in causa feudali, tam super
proprietate quam super possessione,
quia hæc causa est ciuilis; non au-
tem in causa criminali, aut ciuili ex
delicto proueniente; hæc enim de-
bet remitti ad Iudicem Regularem
ipsius Monasterij, vt tradunt *Inno-
cent. & alij*, In causa autem maiora-
tus nusquam ad Iudicem sæcularem
trahi potest. *q. 63. art. 10.*

Neque conueniri coram Iudice
sæculari, nisi in temporalibus, in
quibus licitè reconuenitur coram
eo sæculari, coram quo alium ipse
conuenit. *art. 11.*

Et pro ostensione testamenti,
in quo Monasterium à laico hæres
instituitur; si v. g. vult se oppone-
re & contradicere testamento *ar-
ticulo. 12.*

Ad tollendos scrupulos *Leo X.*
declarauit Fratres Minores posse
habere sumptuosa Monasteria
iam constructa, quæ etiam *Cle-*

ment

mens V. inhibuerat sub excommunicatione relinqui, sine licentia Sedis Apostolicæ. tom. 3. q. 5. art. 1.

Fratres deputati seruitio Monasteriorum Sanctæ Claræ, nequeunt habere administrationem temporalium, quorum sunt incapaces; sed tantum spiritualium. *art. 2.*

Bona Monasterij destructi sunt transferenda ad illud, ad quod Monachi sunt translati. *art. 4. & 5.*

MONACHVS.

Monachi nomen solitarium, & quid triste significat, vnde ius quosdã reos cum Monachis in monasterium detrudit, quasi in honestum carcerem, & locum pœnitentiæ. *tom. 2. q. 23. art. 7.*

Monachatus non præsupponit Clericatum, aut idoneitatem ad illum; vt supponit status Canonico-
rum Regularium. *q. 52. art. 5.*

Cœpit Monachatus, quando olim cœperunt aliqui solitariam vitam agere, qui postea in Congregationem se collegerunt à consortio hominum separatam, nunquam tamen potuerunt Iudicem ordinarium super se constituere, licet eorum

eorum Abbas semper habuerit potestatem in eos quoad Regulæ obseruantiam. Vnde antiquitus omnes Religiosi, etiam qui modò sunt exempti, subdebantur nõ minùs quam alij Clerici Episcopis, qui erant veluti Generales in suis Diœcesibus *q. 64. art. 1.*

Monachus valens aliquid in communi possidere, mortuus quidem reputatur morte ciuili, sed secundùm quid tantùm scilicet quoad ea quæ in iure exprimuntur: vnde non perdit ius acquirendi, nec pristinam nobilitatem respectu sæcularium, retinet etiam ad vitam maioratum, non autem Marchionatum, Comitatum, &c. *q. 79, art. 12.*

MONIALIS.

Vide Illegitimus, Minister Prouincialis, Monasterium, Paupertas, Protector, Statutum.

EVgenius IV. concessit Monialibus primæ Regulæ Sanctæ Clare, quæ aliàs Collectaneæ dicuntur, vt non teneantur incedere nudis pedibus, sed possint deferre ea
quæ

quæ nomine calceamentorum non censentur, atque etiam, cum opportunum fuerit, calceamenta. Item quòd Generales & Prouinciales Fratrum Minorum Obseruantia habeant cum Discretorum cõsilio facultatem dispensandi cum præfatis Monialibus eam in cibis, quàm in silentio, & quibuscumque aliis præceptis, quæ in earum Regula continentur. Voluit denique & declarauit, quòd in nullius præceptorum Primæ Regulæ Sanctæ Claræ transgressione, præterquam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota, scilicet obedientiæ, paupertatis, castitatis, & clausuræ, ac super electione Abbatissæ, & eius depositione, peccatum mortale præfata Moniales incurrant. tom. 3. q. 6.

art. 4.

Et Sixtus I V, prædictis concessit, quòd possint absolui à Ministris, seu Visitatoribus, & suis Confessoribus, ab omnibus criminibus, pœnis, & censuris etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, quoties opus fuerit, & quòd ipsæ, & earum Nouitiæ possint promereri omnes In-

T

du

dulgentias almae urbis, visitado suas Ecclesias, *ibidem*.

Ex his omnibus priuilegiis Collectaneis indultis etiam communicant Vrbaniſtae ſub Cura Fratrum Minorum Obſeruantiae videntes. *Ex conſeſſ. Sixti V. ibid.*

Clariffae ex priuilegio *Clementis VII.* licite referuant in ſuo Choro ſacram Euchariftiam. Et *Leo X.* tam illis quam Sororibus Conceptionis B. Mariae, & tertij Ordinis S. Franciſci permittit, vt praecipto Regulae de percipiendo Sanctiſſimo Sacramento ſatisfaciant, per aliquos dies antepoſponendo, vel poſtponendo, dum tamen illud in fraudem non faciant. *art. 5.*

Prædictis etiam, necnon Fratribus, qui, vel quæ propter imperitiam nequeunt dicere officium diuinum: conſeſſit *Clemens VII.* vt ex iudicio & licentia Prælati, Confefſoris, vel Abbatiffae ipſarum, recitando officium laicis commune, ſatisfaciant obligationi. Et *Leo X.* decreuit, non ſemper teneri ipſas Moniales, etiam ſanas, officium in Choro perſoluere, ſed hoc diſcretioni

M V L I E R E S. 291

tionem Abbatisarum commisit. *art. 6.*

Moniales debent procurare, ut in suo Conuentu quotidie dicatur Missa conuentualis, si commodè fieri possit, eamque, si de eleemosynis uiuant, uiuis & defunctis applicare. *art. 7. & 8.*

M V L I E R E S.

Honestis quibusdam mulieribus possunt Mendicantes dare mantellum griseum, aut alium sui Ordinis habitum Regularem: & hæ, manentes in suis domibus particularibus, emisso, vel non emisso voto continentiae, gaudent omnibus priuilegiis Fratrum quoad absolutiones, & indulgentias, sed non quoad exemptiones. In Ordine tamen Minorum limitatus est usus concedendi simile habitum, in constitutione generali Toletana, ita ut sine licentia Generalis, aut Commissarij, dari nequeat. *tom. 3. quest. 7. art. 1. & 2.*

N O T A R I V S.

Vide Index.

Superiores Regulares, quibus conuenit aliquos processus ful-

T 2 mina